DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

PROLAPSV INTESTINI RECTI PRO TVBERCVLIS HAEMORRHOIDALIBVS PERPERAM HABITO

QVAM

ANNVENTE NVMINE DIVINO

ATQVE AVCTORITATE GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO EXPERIENTISSIMO

AC DOCTISSIMO

DN. D. JOANNE JVNCKERO

MEDICINÆ PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

h. t. PRORECTORE

PRAECEPTORE SVO PIE VENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

HORIS LOCOQVE CONSVETIS

Anno MDCCXL. d. Nouembr.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS ANHARDVS ADELVNG

VRATISLAVIENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

PROLAPSV INTESTINI RECTI PRO TVBERCVLIS HAEMORRHOIDALIBVS PERPERAM HABITO.

PRÆFAMEN.



Hominem esse & errare adeo sibi cohærent, vt se ipsum non bene nouerit, qui ab errandi periculo alienum se existimare velit. Etiam diligentissimo cuique, & multis annis in operibus artis versato, semper supersunt, quæ videre & explorare nondum potuit. Quæ si primum obueniunt, hæsitabundum reddunt, & facillime analogismo probabili imponunt: præsertim vbi vel oculis non subiiciuntur, vel iisdem subiecta similitudine aliqua fallunt. Id sibi accidisse, pro laudabili ingenuitate sua, non diffitetur HIPPOCRATES Epidem. V. cap. XIV. *nobisque admonendis posuit casum hominis mortui a cranii fissura, cui præsidia chirurgiæ non admouerat, quoniam suturam id putauerat, quod vere fissura erat. Sed idem magnus medicinæ professor & parens ad eandem ingenuitatem nos inuitat, & ab affectata in-*

fallibilitate reuocat, quando medicum vehementer laudandum declarat non illum, qui de ſe plurimum pollicetur, ſed qui quam minimum in arte delinquit & aberrat. Sunt autem errores medicorum vel theoretici; quando in rerum abditarum & ab omni ſenſu ſubductarum rationibus reddendis in varias, ſæpeque diuerſiſſimas vias diſcedunt, & ſententias ferunt ſeſe mutuo deſtruentes: alii practici, quando vel alienum & in hoc caſu non conueniens agendo tempus curationi commodum inutili opera conſumimus, vel contrarium illi, quod res poſtulabat, moliendo ægrotum directe lædimus & peſſumdamus. Vt ab omni theoretico errore liberari votum eſt, ſed ſpes in longinquo poſita: ſic vt practicos, vtpote nocentiſſimos, effugere poſſimus, non ſolum omnes ingenii & induſtriæ neruos contendere oportet: verum etiam DEVM ſupplicibus precibus implorare, vt nos in artis operibus dirigat & a prauis conſiliis cæcisque moliminibus auertat & ruituros reuocet aut ſuſtentet. Hæc præfari viſum fuit, vbi caſum, qui offendiculo aliquibus fuit, eo animo producere & expendere placuit, vt & aliis, ſi quando occurret ſimilis, admonitioni ſit, & omnes diſcant, quam facile ſit in errorem abduci, ſi medici ſoli ægro-

ægrotantium relationi & iudicio fidem habentes, præscribere debent; quod ad salutem suscipiendum & instituendum sit. Potuisset accidere, vt magnum ægroto inferretur damnum, si suscepta fuisset operatio chirurgica, quam suaserant præclari medici, qui relationi datæ, sed erroneæ, accommodauerant consilium. Excusandi plane sunt illi, qui non recte narratis responderunt relationi potius quam vero morbo congrua. Enimuero accidit bona ægrotantis fortuna, vt per hanc vrbem iter ante aliquot menses faciens inspiciendum se medico præberet, qui, omnibus rite examinatis, non tubercula esse hæmorrhoidalia iudicauit id mali grauissimi genus, sed simplicem intestini recti prolapsum: atque ad salutem necessaria, vt maiori certitudine, sic successu optatissimo præscripsit. Totam rem, vt gesta est, verbis fere ipsius ægroti, exhibebimus, deinde considerationem medicam subiungemus.

HISTORIA MORBI.

VIr litteratus & officio satis honorato ecclesiastico admotus, cui non desunt continuæ occupationes, quibus omni numero satisfacere allaborat, anno-

rum XXXXVI. habitus corporis macilentioris; in hoc vitæ tranquillo sedentario genere ita degit vt animi agitationibus corporis actiuitas & vires sic satis responderent vsque ad annum ætatis XXXII. Sequuto anno primum emicuit fluxus hæmorrhoidalis, admodum moderatus & parcus. Quæ molimina prægressa sint, & an aliud hæmorrhagiarum genus præcesserit, qualesque illæ fuerint, non annotatum est in exhibita descriptione: vt & de artificialibus sanguinis depletionibus forte administratis nihil consignatum inuenio. Fluxus hic eadem moderatione, qua primum cœperat, per consequutos nouem annos continuauit, nullumque incommodum attulit. Sed proximis quatuor annis non solum copia multum excessit, verum etiam molestias complures easque grauissimas optimo viro attulit. Eo enim progressus est, vt tantum non continuus esset: &, si quando rubicundi sinceri sanguinis excretio disparuit, mansit tamen euacuatio quædam seroso-mucida, quam diarrhœam ægrotus ipsemet existimabat. Vires quidem corporis inter hæc sic satis constabant aliquamdiu: sed progresso tempore notabile erat earum decrementum, atque indies magis conspicuum reddebatur.

Tanto autem molestior erat, qui inter hæc generabatur & confirmabatur, prolapsus intestini recti. Nam quum vsum aquarum Selteranarum non satis accurato regimine, & sine necessariarum cautionum obseruatione, susciperet, intra annum percipiebat aliquem sensum obhærescentium nodulorum, qui sub quauis alui depositione extra prodibant. Hos itaque nodulos, quos continuo inhærere ano & certo tempore prolabi sentiebat,

bat, pro tuberculis cæcarum hæmorrhoidum habebat, atque in deſcriptione morbi ſui, quam ad varios medicos conſequendi auxilii ſpe & deſiderio miſerat, vnice accuſabat. Quoties prolapſa illa moles fuerat, digitorum ope erat retrudenda; quod non ſine dolore & moleſtia, poſt dimidiæ fere horæ decurſum effici poterat. Nam non ſine dolorifico teneſmo prolabebatur ſub alui exoneratione, qui conſtrictorius motus intruſioni reſiſtebat. Notabile hoc etiam fuit, quod eo tempore, quo hæmorrhoides copioſiſſime fluebant, hic prolapſus & frequentiſſimus & moleſtiſſimus fuerit. Creuit etiam cum tempore difficultas reponendi cum cruciatibus, ita, vt ante hos iam duo anos plerumque per integram horam laborandum fuerit, donec egreſſa moles ad interiora reduceretur. Ipſemet ægrotus ſibi viſus fuit tunc deprehendiſſe octo, nouem, decemue tubercula ſanguine referta & adſpectu fulgida, quorum aliqua ad oui columbini magnitudinem accedebant.

Non negligebantur, vt in tanto tamque moleſto malo, remedia topica, quæ a peritis fuerant commendata. Et initio quidem admouebatur mollis ſpongia, aqua fabarum aut calcis viuæ imprægnata: vnde frequenter ſanguinis copia, non ſine cruciatu, eliciebatur. Inuentum autem deinde fuit commodius & ad auxilium promtius remedium, ex floribus verbaſci, furfuribus & cremore lactis permixtis & leni igne in cataplaſma coctis, quod linteo exceptum applicabatur. Huius beneficio dolores illico mitigabantur: quibus ceſſantibus repoſitio paucorum horæ minutorum decurſu poterat effici. Hæc inter prolapſus ille tot iteratis actibus tam habitualis factus eſt,

vt non ſolum ſub qualibet alui depoſitione accidat, verum etiam absque illa eueniat, quoties ægrotus ſtans ſermocinari cum aliqua vocis contentione diutius debet, aut pedibus aliquot centenos paſſus emetiri. Hæmorrhoidum fluxus nunc fere omnino ceſſat, niſi quod ſingulis diebus, vna cum alui fæcibus, prodire obſeruatur materia initio mucida & tenax, tandem fluidior & flauedine aliqua tincta. Interea ſentit tamen ægrotus quotidie, maxime tamen horis matutinis, ſatis notabiles punctiones moleſtosque pruritus intra anum. Præterito anno aliquoties viſæ ſunt aſcarides, vna cum fæcibus prodeuntes: ſed proximo ſemeſtri rarius apparuerunt. Ante aliquot menſes factum eſt, vt hæmorrhoidum fluxus, poſt aquarum Selteranarum vſum, ſatis copioſe prodiret.

Quod ſupereſt ſatis nunc tolerabili ſtatu valetudo optimi viri conſiſtit, ſi excipias moleſtias ab habituali prolapſu ani quotidianas. Appetit, alimenta commode digerit, ſomni beneficio fruitur, & muneris ſui officiis defungitur. Ne humorum copia ſuperoneretur, ſtatis venæ ſectionibus, in pede celebrandis, addicere ſe proximo anno cœpit. Ceterum optat, ſi fieri id tuto poſſit, ſolidum aliquod auxilium, quo a moleſtiſſimo ſymptomate toties dicto liberetur: quod tanto magis ipſi & nos apprecamur, quanto minus valet in iſto ſuæ vitæ genere euitare occaſiones illas, quæ prolabendo inteſtino viam parant.

CONSIDE-

CONSIDERATIO MEDICA.

§. I.

AD medicam huius affectus conſiderationem progreſſuri, primum quidem expediemus theoretica: deinde ad practica progrediemur. Locus, vbi ſubſiſtit malum, quod tot iam annis moleſtias ægroto fecit, eumque compulit vt vndiquaque conſilia expeteret, eſt inteſtinum rectum, eiusque pars inferior, quæ exitum præbet aluo eiiciendis. Non placet omnia ex anatomicorum doctrinis repetere, quæ de ipſo dici poſſunt: ſed ea tantum ſtrictim dicemus, quæ ad ſequentia intelligenda requiri videntur. Vt omnia inteſtina cetera, exterius obducitur tunica membranacea, quæ, ob laxam cohæſionem cum ſequenti muſculari celluloſa interſtitia multa habet, quæ ſæpe multa pinguedine repleta ſunt. Muſcularis per omnia hic robuſtior, conſtat fibris potiſſimum orbicularibus: ſed ſatis multis etiam longitudinalibus. Atque hæc iterum laxe cohæret ſequenti vaſculoſo-nerveæ, cui etiam crebræ glandulæ ſunt interiectæ, a quibus multum mucoſitatis ſuppeditatur. Vaſa quidem ſanguifera hic ſunt duplicis generis hæmorrhoidalia, interna, quæ interiorem eius ſubſtantiam perreptant: externa, quæ ad muſculos ani & exteriorem eius ambitum decurrunt. Vtraque vel arterioſa ſunt vel venoſa. Arteriæ internæ a ramo meſenterico inferiori veniunt: externæ ab aortæ ramis hypogaſtricis. Venæ internæ ad venam portæ omnes decurrunt, eique ſe immittunt, modo in ramum ſplenicum, aliquando in ipſum illum angulum, vbi ramus meſentericus

ricus & splenicus coniunguntur: sed venæ externæ influunt in hypogastricas, a quibus ad cauam pergit decursus. Neruos extremo eius quatuor inseri, notat IO. RIOLANVS *anthropogr. pag.* 180. atque specialius indicat WINSLOVIVS *p. m.* 528.

§. II.

Præter hæc dicta intestino recto dati sunt musculi quidam, quos hic non decebit omisisse. Præstantissimi anatomici non satis conueniunt in illis describendis, atque differunt tam in numero illorum indicando, quam in tractu fibrarum & implicationibus earum describendis. In eo tamen omnes consentiunt, pertinere aliquos ad intestini constrictionem, a quo Græcum sphincteris nomen venit: alios ad eleuationem intestini, quod, dum sphincter remittit anumque laxat, notabiliter vna cum fæcibus emittendis descendit, elapsis autem & proiectis illis sursum retrahitur; quo facto sphincter orificium ad pristinam angustiam retrahit, arcteque claudit. Spacium, quod omnes ad sphincterem relati circumdant & stringere possunt, est duorum digitorum latitudini suppar. Leuatores musculi in partem intestini posteriorem potissimum inseruntur & sphincteris extremo ambitui iunguntur. De his omnibus accuratissimam descriptionem cupiens, accipiat ab anatomicis recentioribus: nostro scopo hæc videntur sufficere.

§. III.

Ceterum hoc intestinum valde crassum valuulis non gaudet, qualibus colon instructum est, sed interiorem superficiem rugosam habet quando contractum & collapsum

lapſum eſt: quas vbi fæces craſſiores tranſeunt, illudque extendunt, oblitterari neceſſarium eſt; eodem euacuato redire. Adnectitur poſteriori parte oſſi ſacro & coccygis: anteriori in viris veſicæ collo, in feminis vaginæ vteri, admodum arcte, vt inter ſe implicatæ fibræ vix ſeparari queant: quemadmodum etiam vaſa ſanguifera his partibus communia & implicata ſunt. Atque hic tam arctus nexus efficit, vt non facilis vtique hic ſit prolapſus: certe concipi vix poſſit, qui credi queat, quod aliqui perhibent & absque limitatione ſcribunt, id, quod ex ano procidit, eſſe tunicam inteſtini recti triplicem, glanduloſam, fibroſam & membranaceam externam. Eſt enim manifeſtum ex hac deſcriptione, quod inteſtinum ita totum inuerti & reduplicari debeat, quemadmodum chirothecam aut tibialia a ſuperiori parte detrahere incipientes non ſine reduplicatione auellimus. Id autem ſi fieri deberet, vtique ſeparari prius a nexu cum his partibus neceſſarium eſt. Qui vero illa fieri poſſit ſeparatio, præcipue a veſicæ collo aut vagina vteri, vbi vix cultri ope & circumſpectiſſima manu id impetrare licet, videant qui talem totius inteſtini inuerſionem, deinde procidentiam, perhibuerunt. Mihi illam talem fieri non poſſe plane perſuaſum eſt.

§. IV.

Eſt autem procidentia aut prolapſus ani iſtiuſmodi affectus, quo extra orificium inteſtini recti portio quædam prodit & propendet, plerumque poſt laborioſam aut dolorificam fæcum excluſionem primum eueniens: deinde autem facile, etiam non valde difficilem depo-

ſitionem alui ſubſequens; quin vbi inueterauit affectus, ſub inceſſu aut longiori corporis in erecto ſtatu detentione, ſponte eueniens, raroque ad interna rediens, niſi artificialis intruſio accedat. Id quod exit non integrum eſſe inteſtinum rectum, modo dicebam: id enim eſt nimis arcte religatum, quam vt poſſit relaxari. Vnde deberemus, niſi conſuetudo nomen iam familiare reddidiſſet, potius tunicæ interioris inteſtini recti prolapſum dicere: certe illum intelligunt periti, qui nomen a vetuſto æuo impoſitum retinent. Scilicet hæc cum ſuperinducta muſculari laxe cohæret, per tenuiſſimas membranulas, cellulosum aliquid, ſi flatus immittatur, repræſentantes. Fieri itaque poteſt vt dolorificis tormentis contracta, aut interiecta & collecta aliqua in dictis cellulis materia, vel elongentur illæ membranulæ, vel abrumpantur, ſicque relaxata & elongata hæc tunica ſub illo niſu, quo aluum deponimus, vltra ſphincterem ſolito longius expulſa aut prolapſa exeat & propendeat.

§. V.

Quoties enim cunque aluum exoneramus, ſecundum naturam fit, vt laxato ſphinctere pars aliqua interior inteſtini prodeat, atque ſcybala excutiat: quæ deinde ad interiora, ope muſculorum eleuatorum, retrahitur. Contueri id licet in equis, aliisque animalibus ſeſe exonerantibus: putoque id notius eſſe, quam vt declaratione longa opus habeat. Jam cum muſculi eleuatores in tunicam externam muſcularem ſeſe inſerant: actione ſua illam quidem facile retrahunt in priſtinum locum: atque ſimul etiam internam, adeoque omne inteſti-

testinum restituunt, si interna superficies, vt naturæ institutum est, accurate cohærescat cum illa musculari, in quam tractio musculorum eleuatorum proprie determinatur. Quod si vero illa interna, ab hac musculari, distracta est longius, aut omnino abrupta, sicque propendet suo pondere & mole: necessarium est vt remaneat, quoniam tractio ab eleuatoribus in solam muscularem tunc agit, hancque interiorem partem ab ea diuulsam non potest afficere. Hinc itaque fit vt depositionis actu finito, retractaque portione intestini exteriori, hæc interior remaneat, clausoque & constricto sphinctere exterius deprehendatur & detineatur. Cognoscitur ex dictis, prolapsum istiusmodi tantum esse partialem, id est non totius intestini, sed tantum interioris eius partis, quæ ex quacunque causa ab exteriori longius distracta aut penitus auulsa est.

§. VI.

Progredimur nunc ad requirendas causas, quæ talem distractionem aut auulsionem possunt efficere. Et in infantili quidem ac puerili ætate, cui satis frequens est hic affectus quando fæces cum maiori nisu exprimere debent, mollitiem fibrarum membranacearum merito accusamus, quæ sub ista vehementi tensione & pressione laxantur & elongantur. Sed forte ipsarum musculi eleuatoris fibrarum atonia quædam simul in culpa est, quæ non satis potenter retrahere valent intestini portionem maiori vi extra propressam. Saltem non magnam adeo læsionem factam esse exinde intelligere datur, quoniam progressa ætate sponte emendatur & aufertur totum vitium, & non adeo exquisito molimine indiget ad

ad reponendum & intus retinendum. Grauior est causa paralytodes vitium in musculis istis intestino recto datis; quod vel in solis eleuatoribus est, vel simul sphincterem afficit: vnde præter intestini prolapsum etiam fæcum inuoluntaria secessio molestiam facit.

§. VII.

Frequentissima obseruatio docet, quod intestini prolapsus obtingat tenesmo laborantibus. Iam notum est quod tenesmus sit dolorificus quidam & continuus, quamquam vt plurimum vacuus desidendi conatus, qui plerumque a caussis acribus irritantibusque producitur, vt materia acri erodente, qualis in dysentericis excluditur, item in aliis fluxibus biliosis, siue sponte subortis, siue per purgantia acria resinosa, vt aloetica, elleborata, scammoniata, colocynthiaca excitatis: quorum efficacia ad hunc effectum tanto minus in dubium reuocari potest, cum visi fuerint quibus talia in suppositoriis incautius data, aut enematibus indita, tam dolorificum malum attulerunt. Quin aliquibus talis passio exorta fuit, quum incauti ad anum detergendum adhibuissent chartam, qua caustica & acria quædam inuoluta fuerant. His talibus tunica intestini, ob neruos in ea disseminatos multos, moleste affecta contrahitur & torquetur. Cumque eædem caussæ exteriorem tunicam non æque tangant, illaque hinc magis quiescat; duplex vitium enasci debet. Alterum est, vt per illam neruosæ contractionem humores transmittentia vascula passim stringantur, liberoque progressu prohibito tumor aliquis, pro diuturnitate & vehementia maior vel minor, oriatur: hoc autem tumore nexus inter tunicam internam vasculoso glandulo-

so.

so neruea m, atque externam muscularem, laxior fiat. Hoc semel facto, quando sub isto desidendi conatu pars tumefacta & laxata extra sphincterem proprimitur, suboritur difficultas illam tumentem molem per angustias sphincteris retrahendi: vnde exterius obhærens & detenta maiori etiam & diuturniori tensione illa nexum magis magisque laxat: forteque non paucas fibras omnino abrumpit.

§. VIII.

De dictis causis antecedentibus, quibus tenesmus & per hunc porro procidentia ani producitur, tanto minus dubitari potest, quoniam semet oculis quasi ingerunt. Transferri autem consideratio porro potest, ad ea, quæ sensibus minus patent. Sic calculo vesicæ laborantibus, aut vlcus in ea habentibus, tenesmus frequenter inducitur a doloribus sensibilibus a vesica irritata ad intestinum, quod tam arcte ipsi nexum est, propagatis. Hinc fit vt tales ægroti prolapsi intestini symptomate crebro vexentur. Pari ratione illis, quibus hæmorrhoidum fluxus moliminibus impetuosis & dolorificis mouetur, accidunt inde neruosæ tunicæ stricturæ fortiores, quibus vascula sanguifera non possunt non affici. Hinc enascuntur ibi tumores, qui modo eodem, quem antea explicauimus, primo nexum tunicæ internæ laxant: deinde, quum sub tenesmo illo vrgente propulsa extra sphincterem fuit tumefacta moles, ibique diutius obhærescit, augere illam diductionem debet, tandemque, vbi diutius hoc factum fuit, verosimillime nexum omnem in illa tumente parte resoluit, & sic habitualem

tualem illam procidentiam, quæ in istiusmodi ægrotis visitur, producit.

§. IX.

Diximus, quantum satis esse putamus, de procidentia intestini recti. Nunc ad differentiam, quæ est inter ani prolapsum & tubercula hæmorrhoidalia, progredimur, vt deinceps in diiudicando præsenti casu tanto facilius versari liceat. Duplex esse genus hæmorrhoidum, internas scilicet, quæ & fluentes vocari solent, & externas, quæ cæcæ audiunt, res est in scholis medicis notissima. Sed hæ vltimæ vel sunt vesicularum impletarum instar atro-rubente sanguine *turgentes*, fere indolentes: vel *tumentes*, i. e. quæ durum tumorem inflammatorium, ruborem conspicuum, exquisitissimum dolorem cum pulsatorio, lancinante & vellicante sensu adferunt, &, nisi mature discutiantur, in perfectam suppurationem abeunt. Sunt istiusmodi protuberantiæ turgentes fere tantum in externo limbo ani: tumentes autem paulo quidem profundiorem situm & intra limbum sortiri solent: sed vix vmquam tam altum, vt sphincterem ani omnino excedant. Solent quidem in moliminibus hæmorrhoidum internarum aliqui introrsum, satisque remoto vltra sphincterem loco, percipere sensum quendam, ac si nucleus ibi durus hæreret; atque ab eo multa incommoda perpeti, præcipue quando aluus deponenda est: sed præterquam quod rarius tales ad fluxum perueniunt; vix concipi & intelligi potest, quomodo bene, immo largiter, succedente fluxu possint persistere.

§. X.

§. X.

Quum vero in nostro ægroto illo tempore, quo hæmorrhoides largissime, vsque ad excessum, fluebant, & fere continuæ erant, hæc putata tubercula maxime perciperentur, plurimumque molestiæ prolapsu suo crearent, absque eo vt tandem depletæ desinerent intus percipi & procidere: inque eo statu ægrotus satis longo tempore permanserit: quis non videt animum abducendum esse ab suspicandis istiusmodi tuberculis, quæ in molientibus hæmorrhoidibus internis aliquando interius percipiuntur: præsertim quum vasa sanguifera, quæ in molientibus internis hæmorrhoidibus inflantur & sanguine turgent, propter absentiam valuularum, quæ iter eius determinant, sub tam largo tamque diuturno fluxu tandem depleri debeant, quum nihil impediat quo minus ab vno ramo sanguis ad alterum apertum defluat, ibique excernatur: quo facto istiusmodi noduli & collectiones dissipari debent. Si vtique initium mali ab istiusmodi tuberculis natum aliquis vellet dicere; hæc dolorifica sua tensione tenesmum induxisse; hoc adiuuante intestini tunicam sensim relaxatam, inde prolapsam esse: nollemus illi multum repugnare. Sed talia nunc adesse negamus, adeoque consilia, quæ his superstructa fuerunt, locum non inuenire, existimamus.

§. XI.

Facimus id tanto maiori confidentia, postquam ocularis inspectio plane docuit, quid de illa procidente mole statuendum sit. Scilicet is medicus, qui oculis manibusque fidelibus omnia explorauit, prolapsum pugni magnitudinem æquantem obseruauit. Superfi-

ciem eius vidit, qualis esse illa solet tunicæ illius interioris, quæ intestinum rectum inuestit. Protuberantiam varicosam nullam omnino reperit, sed vasa venosa spisso sanguine referta & translucentia probe obseruauit. Neque aderant vllæ tumentium tuberculorum, quæ rubor, duritiesque prodere debuissent, notæ. Visebantur quidem aliquæ plicæ & diuisiones, quas ægrotus, qui tantum tactu explorauerat, pro tuberculis existimauerat: eas autem a compressione partium ambientium & continentium efformari, adeoque accidentales esse, manifesto cognoscebatur. Quum itaque sensui oculorum perite rem æstimantium plus tribui alias in vitæ omnis negotiis soleat, quam opinioni, de re non visa formatæ: atque ægrotus tantum retulisset, quæ tactu deprehendere sibi visus fuerat, & cum sermonibus scriptisque medicorum pro suo iudicio comparauerat: facile fuit in hac re ipsi quidem aberrare; sed tanto nunc æquius est errorem cum ipso agnoscere.

§. XII.

Posset quidem obiici & pro tuberculorum præsentia vrgeri, quod etiam reposita iam portione, quæ exiuerat, ægrotus sentiat intus delitescentem molem; & quod digito immisso percipere eam liceat: sed non est vtique hoc signum vniuocum, quod præsentiam tuberculorum hæmorrhoidalium vnice arguat. Nam quum prolapsus nullus notabilis diu esse possit, quin tunica illa exiens elongetur & extendatur: illa autem intra anum repulsa non possit non plicas quasdam formare & rugas exstantes, quæ non perpetuo eundem locum & modum habent, sed fortuito fiunt concursu & quotidie variante:

fieri

fieri hinc non poteſt, quin iſtiuſmodi plicæ & ſeipſas mutuo & ſubiacentes vicinasque partes, premant & aliquo ſenſu afficiant, atque explorantis digito occurrant.

§. XIII.

Poſtquam ſatis, vt equidem ſpero, de ipſo affectu recte diiudicando & æſtimando dictum eſt, progredimur ad aliquarum, quæ in morbi hiſtoria leguntur, circumſtantiarum & euentuum conſiderationem. Fluxus hæmorrhoidum antea moderatus, per annorum aliquot decurſum magis magisque inualuit & copioſior, tandemque nimius factus fuit. Cum ſpecialiora in caſu non ſuppeditentur, cauſam quærere debemus in abundantia ſanguinis, vigente appetitu & digeſtione laudabili continuo ſuppleti, atque in illa ſedentaria vita ægrotantis non proportionate conſumti, aut in augmentum corporis applicati: eo autem, qui eſſe cholericis ſolet, pulſu celeriori ad loca aperta compulſi. Cumque ſub iſto ſtatu vaſa a diuturna & habituali congeſtione ampliora & magis patula reddita eſſent; forteque non abeſſent, quæ in publico munere conſtitutis ſæpe offeruntur, animi commotiones, & in vitæ genere aliquæ ſanguinem expandentes cauſæ ex aere & victu facile accedere potuerint, a quibus ſemper ſubiecta diſpoſita grauius affici ſolere notum eſt: non valde mirari oportet, quod effectum continenter præſtiterint, fluxumque continuum ſuſtentauerint. Certe adſuetudinis vim in negotio hæmorrhoidali, quam in vlla alia hæmorrhagiarum ſpecie, euidentiorem, periti & circumſpecti medici iam pridem notauerunt.

 §. XIV.

§. XIV.

Ita iam constituto corpori non satis auspicatum fuisse vsum aquarum Selteranarum, praecipue non accurate ad praescriptum adhibitarum; historia docet & ratio confirmat. Nam quum haustae copiosius illae aquae commercium cum humoribus nostri corporis ineant, inque vasa recipiantur; illa oportet magis quam antea repleri, adeoque extendi: consequitur vt & vasa haemorrhoidalia, iam habituali decubitu & congestione pridem satis extensa & infarcta, magis nunc extendantur. Hinc debet non solum excretio augeri, verum etiam illae a pristino decubitu excitatae molestiae, praecipue tenesmus, maior reddi, eoque tunica interior a musculari magis magisque diduci, tandemque abripi. A posteriori id confirmat morbi historia: nam prolapsus tunc primum accidit, quum incautus & inordinatus aquarum vsus ad pristina mala accederet. Quod non frustra aut temere aquis Selteranis augmentum fluxus tribuerimus, inde etiam apparet, quoniam hoc ipso anno fluxus haemorrhoidum copiosus post earundem vsum rediit, quum antea penitus desiisset.

§. XV.

Strictura spasmodica a tenesmo, quae tam longo tempore inhaesit isti intestino; atque ipsa vasorum sanguiferorum maior a decumbentibus humoribus inflatio & distensio, non potuerunt non subtiliores ac teneriores ductus, per quos tenuius fluidum seroso - lymphaticum decurrit, passim comprimere, & liberum humorum progressum sufflaminare. Hinc factum puto vt in glandulis quoque spissiores per tardatum progressum facti humores

mores passim stagnarent, lentiores fierent & acrimoniam cum tempore contraherent. Vnde nouam causam tenesmo fouendo & augendo subnatam esse vero simile est, simulque materiam illam mucidam, tenacem, quæ subinde excerni visa fuit. Qui in cadauerum sectionibus attenderunt illis, quos vel dysenteria abstulit, vel lentus morbus a dysenteria non satis fide curata absumsit, non raro annotarunt magna spatia fuisse, vbi interior tunica intestinorum ab externa musculosa abscessit, interiecta materia mucida & corrupta. Alii non continua longa spatia, sed folliculos minores aut vesiculas crebras spisso lentoque muco turgentes & repletas adnotarunt. Ex his tandem aliquid sub laborioso & dolorifico illo excernendi conatu subinde exprimitur: sed magis feliciter, remittente tandem & imminuta strictura dolorifica excernitur. Quod si autem nullo pacto euacuari possit, chronicorum malorum crebra & magna caussa existit: de quo plura hic dicere instituti ratio non permittit.

§. XVI.

Videtur sane mihi illa in nostro ægrotante obseruata excretio materiæ primum mucidæ & tenacis, deinde fluidioris & flauedine tinctæ, esse ab hac causa, quod in summa mali ferocia istiusmodi multa materia mucosa fuit detenta & collecta: quæ, vbi dolorificus tenesmus longiores inducias fecit, excerni & propelli bonis ægrotantis rebus incipit, &, vbi muco iam expresso fluidius serum subsequitur & per patulos ductus copiose effluit, diarrhoeæ iustæ simillimam faciem exhibet. Superesse autem istiusmodi folliculos, aut omnino nondum

depletos, aut in quos quotidie noua fit collectio, coniecturam facio ex illis quotidianis punctionibus, quos ægrotus in intestino percipit. Neque ratio abludit, quæ ex inductione perpetua colligit, partem quamcunque teneriorem, vbi valde diuque extenta seque ipsa tenerior debiliorque facta est, difficilius ad pristinum tonum posse reduci: adeoque diu manere in dispositione ad nouam collectionem stagnationemque influentis materiæ suscipiendam.

§. XVII.

Atque, vt nunc prognosin adiiciamus, patet iam fere ex dictis haud facilem certamque curationis spem fieri posse, in malo quod & vetustate iam confirmatum est, & arcte cohæret cum negotio hæmorrhoidali iam habituali reddito, quodque eiusmodi est, vt nemo bene consultus supprimendum tollendumque illud cogitare possit. Cumque valde verosimile sit illam portionem tunicæ toties prolapsæ non tam simpliciter elongatam & relaxatam esse, quam ab externa musculari abruptam: auget hæc consideratio metum de non facillima restitutione in integrum plenaria. Iam pridem ALEXANDER BENEDICTVS *libr. XXI. cap. 26.* hoc prociduæ sedis vitium ad classem abscessuum reuocauit. Nec facile concipi potest locum tam insignem esse penitus vacuum, siue tantum diductionem vtriusque tunicæ per magnam relaxationem supponamus, siue solutionem continui fibrasque abruptas ponamus. Nam pugnum æquabat egressa moles: intra quam aliquid contineri & includi debere, ad fidem pronum & procliue est. Quod sanguinem sub vehementissimo morbi statu

conti-

continuerit, fere apparet ex eo, quoniam repositio tunc sine magna & copiosa eius profusione nunquam facta est. Esto, fuisse illum postea omnem expressum & excretum, metus tamen superest, ne mucosum quid supersit, & continuo affluxurum sit. Quod dum fiet, non desinet prolapsum iterum iterumque inducere.

§. XVIII.

Atque hæc pertinacia huius affectus in ipso ægrotante clare cognita, & ab aliis notata est. Quorsum autem cum tempore euasurum sit cogitanti, verendum vtique videtur, ne, siquidem sanguinis concreti aliquid subsistat illo loco, progressu temporis in concretum aliquod fibrosum polypis simile cogatur; quale quid accidere solet grumis coagulati sanguinis post partum vel abortum in vtero remanentibus, vnde informia membranacea corpora, quæ molæ vocantur, gigni solent: si vero mucosa pituita multa collecta sit, illa identidem noua tenesmi dolorifici causa fiat, magnamque molestiam creabit; metumque facit ne in callosam aut cartilaginosam duritiem tandem abeat: quale quid in strumosis tumoribus vetustis videmus accidere. Videatur de eiusmodi abscessibus intra tunicas hærentibus IO. FANTONVS in scholio ad obseruationem II. apud BONETVM *anatom. pract. Tom. III. pag. 557.* Visi sunt etiam prolapsus intestini, quibus aut nulla medicina tempestiue facta est, aut non satis congrua adhibita fuit, in gangrænam & sphacelum abiisse, adeoque sonticum vitæ periculum adduxisse. Enimuero non obtulere se huius euentus exempla in aliis, quam qui subito magnam istiusmodi procidentiam primum incurrerunt: quum chronici illi & habitua-

bitualiter recurrentes multis, non quidem sine insigni molestia, attamen citra vitæ tam præceps periculum, per longam annorum seriem inhæserint.

§. XIX.

Superest vt serio dispiciamus, quo pacto per salutaris artis præsidia effici, deo adiuuante, possit, vt & præsentium molestiarum imminutio procuretur, & ne quid grauius superueniat, præcaueatur. Certum est, quod ita versari hic deceat, ne ad hæmorrhoidale negotium, cuius ἐπιγέννημα hic prolapsus est, turbandum aut supprimendum valens quicquam adhibeatur: neque tamen ipsum fluxum irritantia aut prouocantia vlla adferamus; quum præuidere liceat vix futurum esse vt grauis ille tenesmus, quem ægrotus toties tamque diu expertus est, quique procidentiæ primus auctor fuit, separari a nouis moliminibus queat. Erit itaque prospiciendum, vt humorum abundantia ita minuatur & in ordinem redigatur, vt simul dirigamus euacuationem superflui ad commodiora magisque tuta loca, præcipue ad peripheriam corporis: in quo totius curationis certæ ac tutæ cardo versari debet.

§. XX.

Ne igitur sub reliqua ægrotantis euphoria, qua bene appetit & adsumta nutrimenta in chylum transmittit, plethora redeat, nouamque naturæ corporis causam præbeat exclusionem superflui per loca iam adsueta procurandi: vicariam euacuationem per venæ sectionem, quouis semestri in pede celebrandam, instituere consulimus: iamque istum tramitem eum ingressum esse in historia præmissa

missa legimus. Reliqua omnis intentio sit, vt superfluum eliquetur & euacuetur per sudores & vrinam. Cumque eo deuenerint res ægroti, vt maximum illud atque naturæ instituto commodissimum subsidium, sudorem per motum corporis laboriosum eliciendi, nullum locum apud ipsum inueniat; quoniam incedere pedibus suis diu non potest, quin ne stare quidem diutius, absque metu prolapsum molestum redintegrandi, consilium ita attemperandum ipsius indiuidualibus rationibus fuerit, vt & finis obtineatur & damnum ac molestiæ a nouis prolapsibus euitentur.

§. XXI.

Vtatur itaque quouis mane infuso calido ex radicibus cichorei, caryophyllatæ, glycyrrhizæ & polypodii, herbis betonicæ, thymi, hederæ terrestis & saniculæ, ligno sassafras, cinnamomo, seminibusque carui & foeniculi. Horum concisorum & mixtorum, quantum cochleari potest capi, infundatur aquæ bullientis tanta quantitate, quæ sex cyathis implendis sufficiat. Parum vna ebulliant, tuncque calide sorbilletur aqua, & corpus ad transpirationem auctiorem dispositum maneat. Hac potione, non solum diluente & resoluente, verum etiam tonica, spes est spissitudinem sanguinis præcaueri posse, verum etiam excretoria apertum & tonum partium conseruatum iri. Maneat autem in quotidiano illius vsu, cum debito regimine, vt quod corpori, motu omni voluntario destituto, per illam agitationem detrahi inque auras dissipari non potest, hac intensione circuli humorum, quam bene fieri potest, compensetur.

§. XXII.

Vt tonus fibrarum solidarum æquabilis fiat ac con-

seruetur, nullæque stricturæ rigidiores inolescant, quibus sanguis ad habitualis congestionis & euacuationis locum impellatur, e re fuerit continuo prouidere. In hanc rem adhiberi poterit puluis antispasmodicus ex nitri depurati, concharum succo citri saturatarum, atque tartari vitriolati, singulorum tribus partibus, corticis autem cascarillæ & cinnabaris optimæ, singulorum duabus partibus inter se mixtis. Hunc puluerem post meridiem & versus noctem capiat, quantum cultri cuspidata parte potest eximi. Proderit is etiam resoluendo si quid coiit, & tenesmo præcauendo. Sed hanc intentionem adiuuare poterit frequens, imo quotidianus vsus enematis emollientis & carminatiui, cui præcipue incoquendæ sunt pulegium, serpyllum, maiorana & saluia, cum seminibus carui & fœniculi. Sic alui laxæ & obsequentis beneficium absque vlla irritatione obtinebitur, tonusque naturalis intestino restituetur balsamicarum virtute plantarum: ipseque blandus infusi enematis calor dissipando, si quid inter tunicas diductas obhærescat, & eliciendo vtilem operam spondet. Nam quæ alias ad simplicem prolapsum intestini commendari & adhiberi solent satis fortia constringentia, ea hic dissuadentur a connexione eius cum hæmorrhoidali negotio, quod inde turbatum ad congestiones molestas versus alias partes deducitur.

§. XXIII.

Externus ille fotus, quo prolapsa pars ad repositionem obsequens & commoda redditur, vtique porro erit adhibendus, tantoque magis, quod diros dolores, qui sub aliis adhibitis diu percipiebantur, optabili compendio tollit, & efficit vt egressa pars facilius intromitti possit. Est enim in eo virtus anodyna securissima cum re-

laxan-

laxante ita coniuncta, vt præsentis negotii indoles requirit, eidemque, ne nimia fibrarum relaxatio fiat, per illa, quæ enemati, vtique profundius penetranti, seseque ad longiorem tractum applicanti, incocta sunt, satis occursum est, quantum quidem indicationes a recta ratione suppeditatæ in hoc malo satis implicato permittunt & exposcunt. Nam ne minus malum medicum impatientius ferendo malum maius & grauius accersamus, patienti vtique exspectatione progredi in talibus decere, & aliqualem etiam profectum, a quo ad pleniorem curationem gradus fiat, minime aspernandum esse, therapiæ rationalis firmissimis legibus edocemur.

§. XXIV.

Atque quemadmodum plane spero, ita serio opto atque voueo, vt hac methodo languoribus optimi ægroti ita succurratur, vt ipsi recuperatam valetudinem gratulari possimus. Enimuero vt in tranquilla pace nemini vitio vertitur, si cogitet de rebus necessariis, si forte bellum ingruat: flagrante autem bello etiam extremos casus prospicere iuuat: sic deliberatio haud inutilis forte fuerit, quid fieri debeat, si post adhibita omnia prociduæ sedis molestia non minuatur, aut omnino ingrauescat. Sunt autem duo, quæ aliquod sperare iubent auxilium: alterum quidem mitius præsidium, sed probabilem spem faciens: alterum seuerius, sed quod maximam faciat. Illud puto excitandum fonticulum vnum vel alterum. Noui casum adolescentis, cui sine vlla externa violenta caussa femoris caput acetabulo identidem excidebat, & quantumuis optime, nec magno molimine, repositum, iterum sponte expellebatur. Huic salutem firmam, perque

plures iam annos, ad, hanc virilem ætatem, stabilem opem attulit illud, quod dixi, auxilium. Si quis philosophari velit non propiorem forte nexum fonticuli cum acetabulo & capite ossis femoris, quam cum prolapsa interiore tunica intestini recti inueniet. Nimirum in medicina potentius est euidens vsus documentum subtili ratiociniorum nexu.

§. XXV.

Alterum, idque post irrita omnia, extremum est, vt procidua portio filo circumstricta ad secessionem a parte sana deducatur. Exemplum huius curationis positum est in ephemeridibus Acad. N. C. *Centur. VIII. pag. 373.* Formidinem curationis eius eximit HIPPOCRATES *lib. de hæmorrh.* §. *12.* quando sic scribit: *rectum intestinum & secans & resecans & consuens & vrens & putrefaciens, etiamsi grauissima hæc esse videantur, nihil læseris.* Antiquissimo medico fidem faciunt recentiores chirurgi, inter quos minime vanus, sed fide & auctoritate inprimis commendabilis IO. PALFINVS legi potest in anatome chirurgiæ vsibus accommodata pag. Sed ne his opus sit, iterum voueo. Lectorem autem beneuolum rogo, velit nostras de tam graui morbo meditationes æqui bonique consulere, primorumque conatuum imbecillitati veniam non denegare.

T A N T V M.

VIRO

VIRO IVVENI
PRÆCLARO ET EXIMIE DOCTO

DOM. CANDIDATO

CAROLO ANHARDO ADELVNGIO
MVLTAM PRECATVR FELICITATEM

PRÆSES.

SI quæ ſcientia ſubactum & diſcretum exposcit judicium: medica certe, quæ vitam & ſanitatem pro objecto habet, jure merito id ſibi tribuit. Quo majore vero medicina nobilitate exſplendeſcit; eo graviores committuntur errores, ſi judicioſæ hujus diſcretionis lacunæ in ea deprehenduntur. Equidem in Theoreticis præceptis multa tradi, quæ ad aliquem Medicinæ fructum minime redundent, ideoque noxium errorem non admittant: cum GALENO *lubenter confitemur. Quis enim neſcit, curioſum potius, quam fructuoſum eſſe, ſi quis ſingulos corporis muſculos numerare, eorumque formas accurate pervidere poſſet, aut ſi minutiſſimos vaſorum ramos & nervorum ſurculos omnes perſpectos haberet; itidem ſi de glandulis, earumque officio multa diſquiſitione exponeret. Hæc enim omnia neque, ubi adſunt ſingularem utilita-*

tem, neque, ubi deficiunt, noxium errorem secum ducere solent. Ast longe alia est conditio illorum errorum, qvi cum Therapia nexu concatenato cohærent: in illis enim quælibet hallucinatio in vitæ humanæ damnum non potest non succedere. Cujus noxii erroris duo præcipue specimina in re medica occurrunt: videlicet sinistræ hæmorrhagiarum & febrium considerationes; quæ sicut ubique fere locorum, morbi maligni instar, grassantur, ita majorem, quam facile crederet imperitus, calamitatem & stragem adferunt, si ad earum ductum curationes instruuntur. Ad singulares autem & præ aliis noxios errores pertinent, qui in casibus medico-Chirurgicis fallacem partium solidarum diagnosin involvunt: e. g. quando bubonocele pro bubone, enterocele pro sarcocele, descensus uteri pro fungosa & excrescente carne habentur. Qui sane errores omnes ita sunt comparati, ut, si ad eorum censum operationes Chirurgicæ administrentur, eximia damna & pericula nullo intervallo sequantur. Testis es, Clarissime CANDIDATE, *eorum, quæ dixi, omnium: per triennium enim, illud, quo* TE *fidelem habui domesticum, & in curandis morbis consortem, multam habuisti occasionem, ut errores vulgi practicos pervidere, eorumque evitationem sollicite studere potueris. Huc etiam pertinet casus iste sin-*

singu-

ſingularis, quem pro diſſertationis inauguralis thémate ſponte TIBI *elegiſti, atque in eo cautiones practicas, non contemnendas cum ſchola medica communicaſti. Lætor quam maxime, & Deo gratiſſimam mentem offero, quod res* TVÆ *eo nunc venerint, ut cathedram dignus adſcendere, honoresque Doctorales reportare poſſis. Gratulor itaque* TIBI, *gratulor honoratiſſimo* PARENTI, *amico per quadraginta annos mihi dulciſſimo. Faxit ſummus rerum arbiter, ut res* TVÆ *ad ægrotantium ſalutem perpetuo cedant, & animi paterni candor exemplo* TVO *jucundiſſime reſplendeſcat. Vale. Dab. d. VIII. Nov. MDCCXL.*

